

ANTIDIDAGMA
INAUGURALE JURIDICUM
SIVE
DIATRIBA
DE
TRANSACTIONIBUS
QUAM

Unà cum Parergis ex Jure Canonico, Naturali,
Gentium, Civili, Criminali, Publico, Feudali
In Almâ, & Perantiquâ Universitate Coloniensi

ORDINARIO SUB PRÆSIDIO

*Prænobilium, Clariſimorum, Consultiſimorumque
Virorum ac Dominorum*

D. FRANCISCI GABRIELIS HAMM

J. U. D. Professoris ordinarii, & publici, Vene-
randæ Facultatis Juridicæ Dictatoris;

NEC NON

D. JOANNIS PETRI WIRTZ

J.U.D. Professoris ordinarii, & publici, ejusdémque
Facultatis Fisci;

PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS, AC DOC-
TORALIBUS PRIVILEGIIS MORE MAJORUM
ritè capessendis

In publicâ Juris Orchestrâ

Disquirendam dabit


JOANNES JACOBUS CARDIUNS

Linnichio - Juliacensis

AUTHOR & RESPONSURUS.

Die 29. Xbris M.D.CC.LX.X.IV. Horis, locoque consuetis.

COLONIÆ EX TYPOGRAPHIA UNIVERSITATIS.



D E O,
P A T R I A E,
C O G N A T I S,
F A U T O R I B U S,
&
A M I C I S.



PRÆFATIO.

TRANSACTIONIS materiam in foro frequentem existere, notoreitas sat locuples testis est, cuius genuinam propterea scientiam, ne chribdim evitaturi in scyllam incidamus, non necessariam minus ac utilem, nemo, nisi qui trituram forensem cum ignorantissimis ignorat, ibit inficias, ego, ne Penelopes telam retexere videar, utque materiam præsentem faciliorem reddam, specimen inaugurale exhibitus, illam more systematico mihi nunc per septennium familiari explanatam impræsentiarum subministro. Sit itaque

SECTIO Ima.

TRANSACTIO à trans - & actione suum sortita nomen JCto Ulpiano in L. 1.
D. b. t. est duorum, vel plurium super re dubiâ, & lite incertâ con-
venta Decisio, aliquo dato, vel remisso, vel retento.

Et rectè, Jure enim alterutrius irrefragabiliter patescente non est, quod transigatur, quo in passu transactionem à pacto gratuito diseriminari rectè dixeris, hoc posteriore per se rem dubiam non requirente L. 1. D. b. t. Etsi idipsum super hac interponi nihil prohibeat; Eckold ad D. b. t. §. 2. Transactio & rectè vocatur Decisio, sic fraternizans cum Sententiâ, cui & non incongrue æquiparatur in L. 2. D. de Jurej. utraque enim liti terminum figit; discri-
men tamen in hoc consideret, quod illa dicatur conventa Decisio, certo argu-
mento, quod transactio ex partium conventione propullulet, & ab illarum
voluntate dependeat, L. 2. D. b. t. cùm ad amicabilem compositionem Judi-
cis jussu invitum trahi vetet Nov. 124 cap. 4. nisi aliud fors publica suaderet

tranquillitas. *Gail de Pace pub. Lib. 2, cap. 18, n. 9.* è converso Sententia ex Partium conventione neutquam dependeat, cùm illam & in invitatos ferri notoreitas probet.

Essentiale præterea est Transactioni, ut fiat aliquo dato, vel remisso, vel retento, de his enim, si nihil conventum fuerit, *Lex 38. C. b. t.* Transactionem subesse negat, ast quæstio est consideratione non indigna, quale negotium sit ipsa Transactione. Hæc absque remissione, datione, vel facto in nudi quiescit pacti terminis, dum scilicet aliquid promittitur pro ipsa Decisione, & finitione cause, accedente autem ex parte alterutrius ad implemento ad contractus referenda est innominatos *L. 6. & 33. C. b. t.* Sin autem per stipulationem ineatur, contractum illam nominatum rectè dixeris.

Neque quemquam terreat, quod Transactione exinde contractus semper videatur innominatus, quod illam aliquo dato fieri oporteat *L. 38. C. b. t.* indeque & actio præscriptis verbis ex eâ detur *L. 6. & 33. C. b. t.* Etenim Transactione utrumque fieri potest, ut nuda duntaxat promissio intercedat, non verò res, vel factum, ut, si unus promittat se daturum, ut alter discedat, hoc consentiente nudum pactum est, ast nec ille dat, nec hic discedit, sed consentit solummodo se dato ære discessurum, verum, ut contractus sit innominatus, requiritur, ut vel alter actu det, & est do, ut facias, vel alter actu discedat, & renunciet liti, & est, facio, ut des: ast quid hodie interest, num nudo pacto fiat Transactione, an per stipulationem, an verò per contractum innominatum? . Multum profecto, non quidem quoad effectum actionis. *Stryckius in u. m. b. §. 13.* Notum quippè est, quod nudum pactum hodie actionem generet. *Cap. 1. & fin. de Pact. in 6. Mevius Part. 5. Decis. 407.*, sed quosd effectum tollendæ obligationis, priori enim casu, dum scilicet nudo pacto initur Transactione, nunquam ipso Jure tollitur obligatio, secus est in posteriore. *Samuel Coccejus in Jure Controv. b. t. Q. 2.*

Si quæsiēris, quid intersit, num obligatio tollatur ipso Jure, an verò ope exceptionis duntaxat, responsum habe, si obligatio semel ipso Jure extincta fuerit, nihil amplius exinde valere potest, si verò ope exceptionis elidatur, tunc actio durat, sed inter pacientes effectum non habet, etenim obligatio sic enervatur, & ei quasi vulnus infligitur, indeque ipso Jure finiri nequit, nisi modis ad id Jure Civili constitutis, ut stipulatione, novatione, solutione

tione &c. Ast ope exceptionis elidi potest, quantumvis modus non sit Civilis, sed Prætorius, ut per nudum pactum: hinc 2dō obligatione ipso Jure extinctā, necessariō liberantur Fidejussores, & Pignora L. 43. D. de Solut. Item Correi L. 2. D. de duobus Corr. const. non verò, si duntaxat ope exceptionis, sive nudo pacto enervetur obligatio. L. 23. & 25. D. de Pact. Indéque si quis creaverit debitum, & in hujus securitatem Pignora dederit, si postea pactum nudum celebretur liberatorium, liberantur interim & Pignora, si tamen postmodum ab illo iterū recedatur, prior obligatio unā cum omnibus suis qualitatibus reviviscit, per consequens & reviviscunt Pignora, cùm obligatio ipso Jure sublata non fuerit; 3tiō Obligatione ipso Jure extictā non potest quis amplius agere ad cessionem actionum, benē tamen, si illa ope exceptionis exticta fuerit: sic si quis pro debito, quod creaverat, fidejussorem dederit, hic autem pro suo Principale solverit, antequā sibi à Creditore contra Debitorem actiones cedi petierit, factā solutione ad hoc agere non potest. L. 76. D. de Solut. Arg. L. 11. C. de Fidejuss. Gotbofr. in Not. ad L. 17. D. de Fidej. Lit. A. Demūm obligatione ipso Jure sublata Judex reum condemnare non potest, quantumvis exceptione supersedeat, si autem ope exceptionis duntaxat tollatur obligatio, Judex rectè condemnat, nisi exceptio scutum fuerit.

SECTIO 2da.

Transactio primā suī divisione in generalem abit, & specialem. Prior est, quæ se extendit ad omnes, & quascunque lites, hanc tamen ad ea, de quibus Partes verosimiliter non cogitārunt, L. 35. D. de Pact. aut ad res dolō occultatas, suppressasque extendi nefas esse statuo cum Widm. in Tract. de Transact. p. 2. cap. I. 18. 71. Sic quidem ferendus non est, qui generaliter in his, quæ Testamento ei relicta sunt, transegerat, posteā causatur, se de eo solo cogitasse, quod primā parte Testamenti, acnoī etiam, quod posteriore legatum sit: si tamen posteā Codicilli proferantur, non improbē mihi dicturus videtur, de eo duntaxat se cogitasse, quod illarum tabularum, quas tunc noverat, scripturā contineretur. L. 12. D. b. t. Altera est, quæ unam duntaxat, & determinatam concernit item, cuius indoles pariter in eo consideret, quod ultrā rem, de quā transactum est, non transferatur. L. 9. §. 3. v. Namea. D. b. t.

Meyius Part. 6. Decis. 149. N. 4. & Part. 3. Decis. 163. N. 10. Indeque, qui cum Tutoribus suis de solâ portione administratæ tutelæ suæ egerat, & transge-
rat; adversus eosdem Tutores ex personâ fratris sui, cui hæres extiterat,
agens, præscriptione factæ transactonis non summovetur. *L. 9. pr. D. b. t.* Pa-
riter & ille, qui per fallaciam cohæredis ignorans universa, quæ in vero
erant, Instrumentum Transactionis sinè Aquilianâ stipulatione interposuit,
non tam paciscitur, quām decipitur. *Cit. L. 9. §. 2.* Nec minus ei, qui non-
dum certus ad se querelam contra Patris Testamentum pertinere, de aliis
causis, cum adversariis pacto transegit, tantum in his interpositum pactum
nocebit, de quibus inter eos aetum esse probatur. *Cit. L. 9. §. 3. in init. . 2dd*
Transactio dispescitur in Juraram, & non Juratam. *1ma*, quæ Juramenti
religione vallata est, *altera*, quæ sinè Juramento inita est, diversus harum
pecierum Juris effectus est, quod fortior sit obligatio Transactionis Juratæ,
Juratam enim Transactionem non liberantes non solùm infamiâ notantur,
verùm etiam actione privati, restitutâ pœnâ, quæ pactis probatur inserta,
& rerum proprietate carent, & emolumento, quod ex Transactione illâ
fuerint consecuti. *L. 41. C. b. t.* Quæ singula aliter se habent in violatione
Transactionis Juramento non solidaræ. *3ti* Transactio *alia est pœnalis*, si in
casum resilientiæ certa pœna à resiliente sit exsolvenda. *Alia non pœnalis*, in
quâ istiusmodi pœna à transigentibus non est præfinita, à priori resiliens
ad solutionem pœnae compellitur *L. 37. C. b. t.* Ubi enim Pactum, vel Trans-
actio scripta est, atque Aquilianæ stipulationis, & acceptilationis vinculis
firmitas Juris innexa, aut subsecutis secundum Leges accommodandus est
consensus, aut pœna unâ cum his, quæ data probantur, antè cognitionem
causæ, si adversarius hoc maluerit, inferenda est. *L. 40. C. b. t.* Indeque Actor
stanto pœnalis Transactionis promisso adversarium suum, aut ad implemen-
tum faciendum, aut ad pœnam solvendam obligatum habet, si tamen Trans-
actio Juramento solidata fuerit, non adimplétâ à reo fide, tam res transacta,
quām pœna exactio subjacet, idem est, si clausula: *Rato nihilominus manente*
Transactionis Pacto - adjecta fuerit. *L. p. D. b. t.* Quo casu pariter contrâ resilien-
tem, si quid negotii dirimendi causâ datum fuerit, & pacti exceptio, & da-
torum actio datur, quod si nihil tale convenerit, exceptio, non etiam eo-

rum,

rum, quæ data sunt, partà securitate, repetitio competit. *L. 17. C. b. t.* 4^{to}
Transactio alia est *Judicialis*, quæ Judiciali nititur autho itate, *Extrajudicialis*
 lata, quæ tali est destituta, hæc inter duo discrimen ponit *Ludovici in Doctr.*
Pant. b. t § 8. Quod scilicet posterior Praxi duce intuitu læsionis ultrà dimi-
 dium rescindi valeat.

SECTIO 3ta.

Materia Transactionis res dubia est, & litigiosa, bifariam autem rem du-
 biam dici Trivialistæ nōrunt, vel enim talis est ratione litis actu inten-
 tatae, vel in futurum movendæ, non tamen illam actu motam requiri, sed
 probabilem etiam hīc omne punctum ferre litis timorem decidit. *Lex 2. C. b. t.*
 idc rē & post causæ conclusionem, etiam immediatè antè Sententiam Trans-
 actioni locum esse facilè largior, super re autem judicatā, utpotè certā, &
 determinatā, Romanè loquor, febrizitans est Transactio. *L. 32. C. b. t.* Ait
 nanc ob emersuras forsitan in executione difficultates Transactionem super
 re judicatā genitam, firmitate non destitui vera est opinio *Stryckii in u. m. b. t.*
 §. 7.

Neque quid contrarii generat *Lex 31. C. b. t.* ubi de re certâ Transactio inter-
 poni dicitur, etenim res certa ibidem reputatur, cuius species certa est.
Eckold. ad D. b. t. §. 2. Qualis esse potest, licet circâ Jus illius adhucdum fluc-
 tuemus, neque 2^{do} difficultatem alit *Lex 229. D. de V. S.* quæ habet transacta,
 finitave intelligi debere, non solum, quibus controversia fuit, sed etiam,
 quæ sīnē controversiā sīnt possessa .. Transactio enim fieri potest non tan-
 tum de re, super quā actu lis mota est, sed & de re, quæ nondum est in Ju-
 dicium deducta, adeoque quæ haētenū sīnē controversiā fuit possessa, ubi
 in futurum tamen lis metuitur. *L. 2. C. b. t.*

SECTIO 4ta.

Tranfigendi potestas competit omnibus, quibus libera est rerum admi-
 nistratio, Tutores itaque, Curatoresve super re pupillorum, & mi-
 norennum immobili, vel mobili quidem, ast servando servabili, seposito
 Judicis Decreto tranfigere nequeunt. *Arg. L. 22. C. de Adm. Tut.* Sed quid? si
 adver-

adversario immobilium possessio, quâ hucusque gaudebat, sit relinquenda. Resp. Verius est, ad hoc quoque Decretum requiri. Müll. hic Th. 85. Lit. G., qui idipsum extendit Lit. Z, ut nulla absque Decreto sit Transactio, quantumvis nomine unius Ecclesiae, cum alterius Administratore, vel pupilli Tutore transactum foret, idem de minorenibus ferto Judicium, liberâ enim destituuntur rerum administratione.

Nec moror Sententiam Zoesii, qui in Comm. ad D. b. t. N. 2. Minorem, Curatorem etiam habentem sustinet transigere posse Arg. L. 101. D. de V. O., etenim hanc Legem, quæ puberes sive Curatoribus suis ex stipulatu obligari posse definit, de eo casu exaudiendam opinor, si puberes sive Curatoribus suam obligaverint personam (quod iis Jura indulgent, sic minor insalutato Curatore sponsalia contrahere non prohibetur. L. 20. D. De Ritu Nupt.) non, si de rebus suis contraxerint, Brunn. ad D. ad Cit. L. 101. quo super plana est Decisio Legis 3. C. de in integr. rest. min. Nec absimile judicandum est de minorenibus, qui ætatis à Principe impetrârunt veniam, illis enim Arg. L. 3. C. de his, qui ven. atat. impet. transigendi restricta est potestas, Transactio enim species est alienationis, Arg. L. 1. §. 9. D. Si quid in fraud. patron. quæ illis, qui à principali clementia veniam ætatis impetrârunt, non minus, ac hypothecæ constitutio respectu bonorum immobilium sive Decreti interpositione est interdicta, ut hinc similis sit eà in parte conditio minorum omnium, sive petita sit, sive non, ætatis venia Cit. L. 3. C. de his, qui ven. atat. impet. Juramentum tamen si accesserit, Transactio valebit. Auth. sacram. pub. C. Si adv. vendit Aliud statuendum, si veniam ætatis illimitata concessa foret, quo casu impetrans liberam nanciscitur super bonis etiam immobilibus disponendi potestatem, per consequens & transigendi facultatem, illam tamen saepiusculè indulgeri nec ardor juvenilis sinit, nec Principis providentia patitur.

Syndicis Civitatum, rerum Ecclesiasticarum, publicarum, & Xeno-dochiorum Administratoribus res sibi commissas transigendo dimittendis facultas non competit, nisi mandatum habuerint speciale, aut omnia Civitatis &c. bona iis cum liberâ dispositione fuerint commissa, de quo casu L. 12. C. b. t. exau-

exaudiendam reor, modò & hoc posteriore casu gloriæ captandæ causâ Jus liquidum non remittatur, administrandi enim duntaxat illis cura est, non perdendi licentia. *Brunn. ad cit. L. 12.* & mandatum, quantumcunque generale ad casum donationis, & perditionis non est extendendum *Gail. 2. Obs. 72. N. 13.* Idem de Procuratore *Per L. 7. C. b. t.* Dicendum censeo, ubi Transactionis placitum ab eo, cui causæ actio, non decisio litis mandata est, interpositum nihil petitioni derogare dicitur, & rectè, Procurator enim ad agendum constituitur, non ad transigendum, quo circa ille, qui cum Procuratore simpliciter ad agendum constituto transigisset, eique solvisset, iteratò ad solvendum propitiâ Themide condemnari posset, si autem Procuratori generaliter libera rerum administratio commissa fuerit, tunc, uti exigere potest, aliud pro alio permutare. *L. 58. D. de Procurat.* Quemadmodum & creditoribus solvere. *L. 59. D. eod.* Sic & transigere non prohibebitur, cave tamen, eandem facultatem tribuas Procuratori mandatum quidem generale, sed non cum liberâ habenti, mandato enim generali non contineri etiam Transactionem decidendi causâ interpositam, & ideo, si postea is, qui mandavit, Transactionem ratam non habuit, eum ab actionibus exercendis repelli non posse statuit *L. 60. D. eod.*

Pater, quemadmodum renitente filio, in cuius hic potestate extitit, spem delatae huic querendæ successionis legitimæ absumere nequit. *L. 11. C. de Jure Delib.*, uti nec fidei-commisum filio relictum repudiare. *L. 26. C. de Fidei.* Ita & de re filiorum, qui in potestate non existunt, patrem transigentem minimè eis obesse placer. *L. 10. D. h. t.* Pariter & ei de filii patriâ in potestate existentis peculio castrensi, & quasi, adventitio re- & irregulari prohibita est Transactio, cùm eorundem respectu libera illum disponendi facultas fugiat, emergente tamen necessitatis casu, aut filii accedente consensu, peculio super adventitio regulari patrem transigere posse docet *Zoes. ad D. h. t.* *N. 7.* quin autem super peculio castrensi, & quasi liberè transigat filius, ratio dubitandi nescitur, liberrimâ enim super illo disponendi facultate præmet, adeò ut Lege præeunte id ipsum adversus patrem in Judicio persequi valeat, ac testando super eo disponere possit.

Ambigitur autem, quid de Vasallo statuendum veniat, num hic Domino directo, si feudum novum fuerit, aut agnatis, si feudum fuerit antiquum, insalutatis super feudo, Lege propitiâ, transfigere valeat, ad quod resp: Si Vasallus de beneficio suo agar, vel conveniatur, sive obtrineat, sive non, licet ignorantे Domino fiat, omni tempore firmum erit illud Judicium, poteritque res transfigere: nec, quod accepit, Transactionis nomine, feudum erit. Feud. 26. §. 5. v. si Vasallus de benef. neque quoad posterius me terret vulgatus illud, quod surrogatum sapiat naturam ejus, cuius in locum surrogatur, id ipsum enim duntaxat in universalibus subintrare, in particularibus autem tota die exulatum abire vulgus novit, clarius quæstio præmissa decisa reperitur. Feud. 43. potest enim Vasallus & sine Domini voluntate recte feudum refutare. Feud. 38... Negotium facessere videtur cit. 2. Feud. 38. & 2. Feud. 39. in quorum priori definitur, quod, si Vasallus contrâ Constitutionem Lotharii Regis beneficium alienaverit: si totum, perdat totum; si partem, partem perdat, & ad Dominum revertatur, in posteriore, quod alienatio feudi paterni non valeat, etiam Domini voluntate, nisi agnatis consentientibus, ad quos beneficium quandoque sit reversum; ut hinc, cum Transactione sit species alienationis. Zof. ad D. b. t. N. 1. Illa super feudo sine Domini, ac reflectivè Agnatorum consensu interposita firmitate destitui videatur. Distinguendum enim est rem feudalem certam inter & dubiam. Eckbold ad D. b. t. v. Rellè transit: Alienationem insuper veram & voluntariam, inter & rei feudalis derelictionem respectivè & alienationem necessitatem, qualius modi ut plurimum est Transactione, id ipsum facile largior, quod Vasallus rem feudalem certam, super quâ nimis neque de facto lis est intentata, neque prudenter talis meruitur, verè, & voluntariè alienare non possit. Feud. 55. Ast, si res feudalis dubia, indeque alienatio, puta, Transactione, necessaria fuerit, hanc irrequisito etiam Domini directi, & Agnatorum consensu, omnimodâ firmitate inniti, & ratio, & Textus Feudales comprobant.

De Emphyteuta, num super fundo emphyteutico transfigere valeat, minus dubii supereft, cùm enim ille, secùs ac Vasallus, Emphyteus in liberâ

liberâ in alterum venditione, Domino non salutato, transferre possit, factâ duntaxat huic denunciatione, nondum emensâ mensium duorum intercapidine, ad effectum, ut Jus Protomiseos exercere possit. L. fin. C. de Jure Emphyt., non video, cur in casu, quo ei super Fundo Emphyteutico lis movetur, dubiusque apparat eventus, super illo transfigere prohibeatur, præsertim, cùm nulti Juris Interpretates eam in Sententiam vela faciant, quòd Emphyteuta irrequiso etiam Domino Emphyteus in alteri donare, legare possit, & permutare. Eckold ad D. tit. locat. cond. §. 11. Hoppius in Comm. ad Inst. tit. de Locat. & cond. ¶. Vendiderit, aut donaverit. Zoes. ad D. eod. N. 102. in fin.

Quæstionem, num Fiduciarius de Fidei-commisso, motâ desuper lite, transfigere valeat, sequenti modo dirimendam autumo. Vel enim hæreditas fidei-commisso innexa statim est restituenda, & neganda erit fiduciario transfigendi potestas, vel illa demum post hujus obitum restituenda venit, & transfigere fiduciarius poterit, itâ tamen, ut pretium ex taliusmodi Transactione natum pariter fidei-commissi vinculo sit innodatum, Arg. L. 22. D. de Hæred. petit. In quo Fiduciarius, quoad victurus est, usufructu gaudebit . . . Quæstio demum est non contemnenda, num maritus super bonis uxoris transfigere valeat? . . . Super bonis receptiis, quæ nimirūm uxor recepit, id est, sibi & propriæ dispositioni reservavit, itâ, ut maritus nec dominium, nec usumfructum habeat. Ludovicici in Doctr. Pand. tit. de Jure Dot. §. 8. Ille transfigere non potest, cùm nihil Juris marito in iis competere patescat. Super bonis paraphernalibus (quæ uxor præter dotem in mariti domum intulit, & quorum hic usumfructum, ex voluntate uxor habet. L. 11. C. de Pact. convent. Qualia in dubio præsumuntur, cùm bona dotalia, & receptitia certum supponant pactum, quod in facto consistit, atque adeò probari debet. Ludovicici loc. cit.) ille saltem cum consensu uxor transfigere poterit, præsertim, cùm maritus paraphernorum, nisi uxor prohibuerit, communio nem habeat. I. 8. C. de Pact. convent. . . De bonis dotalibus vulgata est recepta distinctio, an in re mobili consistant, an immobili, aut mobili qui-

quidem, ait servando servabili, & num res aestimatō, aut inaestimatō data, an taxationis, an venditionis gratiā, principalis autem quæstio, quam impræsentiarum intendo, in hoc uno consideret, num maritus in casu, quo inter conjuges bonorum viget communio, super bonis uxoris, hanc inconsultā, transigere possit. Quæstio hæc secundūm Romanorum placita Decisionis est nescia, Jure enim Romano bonorum ignorabatur communio, adeò, ut, si mulier aliquid possideret, id ipsum à marito profectum, secūs ex turpi quæstu propullulasse reputaretur. L. 51. D. de Donat. int. vir. & uxor. L. 6. inf. C. eod. . De Jure Electoratūs Colonensis quæstio proposita pariter nihil difficultatis alit, quantumvis enim ita eo acquæstuum vigeat communio. Ord. Elect. Col. tit. 8. §. 4. Disertè tamen ea utrum reperitur, quod conjux sine consensu conjugis neque bona illata, neque stante thoro acquisita alienare valeat, Dict. Ord. tit. 12. §. 2. Ut hinc neque transigere possit, quæ singula de bonis immobilibus intellecta volo. Eleut. Ord. Elect. Colon. ad tit. 12. §. 2. . . Pro aliis tamen locis, ubi simile Statutum de non alienando sine consensu conjugis non vigeat, bonorum tamen obtinet communio, qualis est hic Coloniæ, ubi vir querit dominium bonorum immobilium uxori, & uxor marito mediæ Scripturali communicatione, & mobilium per factam in matrimonium illationem. Statut. Civit. Colon. P. I. A. 10. & 11. Aliud dicendum reor, quod nimirum maritus, ut non tantum dimidiā dotem, verum etiam mediatem omnium bonorum irrequisito uxoris consensu alienare potest. Heser. de Bonor. commun. P. I. Eoc. 7. N. 1. & seqq. Ita & sine hoc dicto modo transigere Jure non prohibeat.

SECTIO sta.

QUOD ad Transactionis valorem transigentium imò requiratur consensus, negat ignorantissimus. 2dō Transactioni esse entale est, ut libera super rebus disponendi transigentibus facultas competat, sive que res privati arbitrii, res enim, quæ extra privatum sunt positæ arbitrium

trium, à Transactionis exulare materiâ. *Zoësius ad D. b. t. N. 16.* Ideoque de Jure Spirituali, Rebus Sacris, Religiosis &c. initam Transactionem omni carere robore, Juris est haud aincipitis, afferens tamen de Rebus Ecclesiasticis, publicis, & universitatis, suppositis supponendis transigi posse haud falleris. 3tiò Transactionis, ut firmitatem habeat, requiritur, ut res, super quâ transigendum est, sit dubia, vel ratione litis motæ, aut movendæ. *L. 2. C. b. t.* Super re enim certâ, & penitus indubia Transactionem iniri non posse, vel ipsa insinuat Transactionis definitio. *L. 3. C. b. t.* Cave tamen sustineas, super re penitus obscurâ, & omnino incertâ Transactionem defensum iri, ut, si quis super in Testamento relictis, ignorans, num quid relictum sit, transigere attentaret; num autem Transactionis super in Testamento relictis, dum quid relictum esse patet, tabulis nondum inspectis, cognitisque interposita subsistat, affirmant nonnulli magni etiam nominis Juris Interpretes, quorum rationes tamen tantæ non sunt, ut in suâ ditionem me trahere queant, siquidem in Jure nostro satis trita est regula, quod tanta sit vis Transactionis, quanta est rei judicatae. *L. 19. & 20. C. b. t.* Ita quidem, ut Transactionis semel ritè, & bonâ fide conclusa neq[ue] sub prætextu Instrumentorum noviter repertorum rescindi queat. *L. 19. cit.* Neque Imperiali Rescripto eam resuscitari oporteat. *L. 16. C. b. t.* Ut hinc, cùm vi horum textuum tanta sit virtus, & obligatio Transactionis, ut neque sub prætextu Instrumentorum noviter repertorum retractari possit, ita non videatur subesse ratio, cur ejusmodi Transactionis ritè conclusa sub prætextu Testamenti noviter aperti denuò rescindi possit; quod ipsum evinci videtur per Textum in *L. Non est ferendus. 12. C. b. t.*, ubi definitum reperitur, quod non sit audiendus ille, qui super Testamento aliquo generaliter transegit, si postea velit objannire, se de eo solo cogitasse, quod in prima parte Testamenti, non verò etiam de eo, quod in posteriore ejusdem parte legatum fuerit, eò quod, ut innuit Summa ejusdem Legis. Transactionis facta super Testamento referatur ad quamlibet ejusdem partem: ex quo

quo satis colligitur, quod liceat super Testamento aliquo transfigere, et si ejusdem tenor nondum inspectus, cognitusque fuerit, hoc ipso, quod secus ejusmodi transfigens jam scivisset, quidnam in ejusdem priore, vel posteriore parte contentum fuerit, & sic desuper amplius excipere cum fundamento non potuisset.

Verum, Amice! memento diffidere! non cuilibet spiritui credendum est, errat toto caelo, Iqui putat Transactionem initam super controversia ex Testamento profecta, hujus tabulis nondum inspectis cognitusque firmitatem habere; neque moror assertum *Cujacii ad L. Qui transfigit. I. D. b. t.* ubi Sententiam meam omnino falsam, & ex communi tantummodo errore natam adstruit, ad hoc enim est Textus plusquam clarus *in L. de b. 6. D. b. t.* ubi Gajus JC. in haec verba respondet: *De his Controversiis, quae ex Testamento proficiuntur, neque transfigi, neque requiri veritas aliter potest, quam inspectis, cognitusque verbis Testamenti.* Item *in L. I. §. 1. D. Testam. quemadmodum aper.* ubi idem Gajus asserit, quod neque sine Judice NB. transfigi, neque apud Judicem exquiri veritas de his Controversiis, quae ex Testamento proficiuntur, aliter possit, quam inspectis, cognitusque verbis Testamenti: Quasi dicaret, quod, sicut Judex cum fundamento super Controversiis Testamentariis judicare non potest, antequam Testamenti tenorem inspicerit, ita neque aliquis super contentis in Testamento, nisi post inspectum prius ejusdem tenorem cum effectu transfigere queat; neque haec specialitas in Testamentorum materia, quod nempè super iisdem, nondum visis eorundem tabulis, atque inspecto illorum tenore, non liceat transfigere, quamvis aliis in materiis hoc permittatur, suâ etiam caret notabili specialitatis ratione, quemadmodum enim unâ ex parte plus quam notum est in Jure nostro, quod etiam publicè intersit, ut supremæ hominum voluntates exitum habeant, & liberum sit Morientium ultimum, & quod non amplius reddit, arbitrium. *L. 5. D. Testam. quemadmodum aper. & DD. pafim ad dict. L. 6. D. b. t.* Ita altera ex parte per se abunde patet, quod, si istiusmodi Transactiones, nondum inspecto Testamenti con-

textu valerent, sacerdotaliter accidere posset, ut de facto circumvenirentur ultimae Testantium voluntates, atque aliquid inter partes transigentes concluderetur, quod Testatoris intentioni immediatè contrarium foret; ad evitandas itaque ejusmodi circumventiones, &c, ut eò magis adimpleantur ultimæ Defunctorum voluntates, immaturæ istiusmodi Transactiones ob vires interne civitatis confractas sponte concidunt. Nec parvum Sententiam hanc vallat & illa hujus specialitatis ratio, odium nempe speciale illorum hominum, qui forte Testamenta malitiosè suppri-
munt, aut consultò diutiis occultant, eà tantummodo intentione, ut lu-
crum exinde contra defuncti Testatoris intentionem querant, cum per
tales Transactiones facile allici possent Legatarii, aut Fidei-Commissarii
ad transigendum, & inde ad accipiendum forte modicum præsens pro
relicto alicujus momenti, quod ignorant, ut loquitur *Jctus in L. 8. in princ. b. t.* quod utique, cum malitiis hominum quovis modo sit obvian-
dum, tolerare nefas est.

Objectiones adversus Sententiam hanc superius protrusas sciscitanti resolvam, illud tamen adhuc meminisse juvabit, quod objectio, qualiter Transactio interponi debeat super re dubiâ, & incertâ, inspectis autem Testamenti verbis res non amplius sit dubia, sed extrâ contro-
versiam posita, nihil in recessu habeat, quam jejunum enim sit posthu-
mum hoc refugium, vel semisensatus dijudicabit, quasi verò inspectis
etiam tabulis, de mente, & Sententiâ Testatoris, de Testimenti viri-
bus, utrum falcidiæ locus sit &c, dubitari non posset, demum res du-
bia est, ubi lis tantum metuitur, & prævideri non potest, quæ ex-
ceptiones contrâ Testamentum obmoveri possent, potest & injuriâ Ju-
dicis aliter statui, ut hinc undequaque dubius appareat litis eventus,
& haec Sententia instruul Praxi conformis est. *Gail. 2. Obs. 139. N. 7. & 10.*
Transactionem tamen super taliter relictis Juramento solidaram de Jure
Can. firmitatem habere defendo cum *Widmont de Jurej. N. 44.*

Ait quæstio est, num super in Testamento relictis, tabulis non in-
spectis, neque cognitis saltē licita sit gratuita partio, nam cum *Gajus*
in L. 6. D. b. t. & L. 1. §. 1. D. Testam. quemadmodum aper. Duntaxat de Trans-

actio-

actione loquatur, quæsitum est, annon saltem donationis causâ liceat de Controversiis ex Testamento dependentibus, tabulis non inspectis, pacisci, liténique gratis remittere, sunt, qui putent, non magis licere; verbis Testamenti non inspectis, de hujuscemodi Controversiis gratis pacisci, quām aliquo accepto transfigere, alii è contra pacisci de his gratis licere ajunt, quamvis transfigere non liceat, quorum posteriorum Sententiae & ego plenâ manu subscribo. Argumentum à pari desumptum me non urget, quòd nimirùm in casu proposito non liceat transfigere, ergò neque pacisci. . Magna enim, & evidens pactum hic inter & Transactionem differentia subest, quippè qui transfigit, decipi potest accepto fortè minimo pro ingenti sumam, cùm utique habere velit, quod sibi Testamento relictum est, ast ille, qui ultrò totum remittit, non decipitur, cùm nihil habere cupiat, & potest unusquisque jus sibi delatum repudiare. . Neque 2dò urget, quòd Transactio in Juris quibusdam loeis æquiparetur pacto. . Non enim continuò illa, quæ in uno aut altero convenient, illicò convenient in omnibus, aut in eo, ubi dispar ratio subest, neque id dico, quòd pactio gratuita valeat omni casu, quo Transactio non valet, sed utilis est in quæstione propositâ, licet Transactio sit inutilis. . Neque 3tiò illud curio, quod apud *Paulum Lib. I. sent. tit. I.* legitur: *De his rebus non pacisci posse, de quibus transfigere licet.* . Ex quo themide penitus invitâ eruitur, de quibus rebus transfigere non licet, de iis nec licere pacisci, pactio enim subinde valida est, ubi Transactio non subsistit, sic de re judicata, aut jurejurando decisâ, aliasve certâ, & liquidâ inutilis est Transactio interposita; pactio tamen donationis causâ omnigenam firmitatem habet, quamobrem, cùm Textus sèpè citati *L. 6. D. b. r. L. I. §. I. D. Testam. quemadm. aper.* Transactionem duntaxat in proposicio prohibeant, eaque prohibitio aliquid singulare, & Transactioni proprium contineat, nolim illos ad pacta gratuita temerè extendere, itâ moresuo solidè *Vinnius in Quæst. select. Lib. I. Cap. 8.* . Super alimentis futuris ultimam per voluntatem relictis valida non est Transactio. *L. 8. §. 6. D. b. r.* Ratio tum in favore alimentorum sita est, ne hæc intercipiantur, & alimentandus ad famam redigatur, tum in favore Testamenti, ut id effectum sortiatur. *Brunnem. ad L. 8. C. b. r. N. 1. & 2.*

¶ Illi

Illi enim, quibus tenuia relicta sunt alimenta, facile aliquid remittere solent, ut omnia simul, & unà vice accipiant. *Cit. L. 8. in pr.* Unde deterior redderetur alimentorum conditio, exceptionem statuo, si Transactio authore sit Praetore, præviâque Causæ cognitione. *L. 8. §. 8. D. b. r.* Aut alimentandus conditionem suam sperare redderet meliorem. *Cit. L. §. 6:* ut, si quod in singulos annos debebatur, in mensis dividatur singulos, hâc enim ratione melior sit alimentorum conditio, substitutaque Transactio, et si nec Praetoris cognitione, nec Decretum accesserit. *Brunnem. L. cit. N. 2.* Inventa enim in compendium nefas est dispendium operari de alimentis tamen præteritis alimentandus rectè transigere potest. *L. 8. C. b. r.* Ut & de alimentis qui buscunque ex contractu debit is *L. 8. §. 2. D. eod.* Priora enim alimentorum amiserunt rationem, ut hinc Testatoris dispositio minime convellatur, quippe qui alimenta in vitae futuræ destinavit subsidium, & in posterioribus salva est mens contrahentium, qui, uti obligationem posuerunt, ita & pro volupe eam resolvere poterunt. *Zoefius ad D. b. r. N. 27.*

Super criminibus publicis præteritis, pœnam sanguinis irrogantibus quoad interesse partis validè transigitur. *L. 18. C. b. r.* Leges enim quamcunque honestam viam habent expediendæ salutis, sanguinisque sui redimendi, & ignoscendum censuerunt ei, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemptum voluit. *L. 1. D. de Bon. cor. qui ante Sentent.* Idque verum est, quantumvis accusatio modò inchoata fuerit. *Gail. de Pace publ. Lib. I. Cap. II. N. 18.* Crimen tamen perduellionis *Per L. 5. C. ad Leg. Jul. maj.* & adulterii *Per L. 18. C. b. r.* excepta velim. Neque angit, quod pacta super re publicâ nullius sint roboris. Resp, enim, hoc casu potius agitur res privata, & sua, ne aliis accuset, & ex ejus accusatione sanguinis contingat effusio. Demum & hæc Transactio tantum operatur inter transigentes, nec aliis idem delictum persequendi ulla tenus viam præcludit. *L. 5. §. 2. D. ad L. Jul. de Vi publ.* Imò & Judici liberum est, reum prosequi, sive novum processum inchoando, sive veterem exequendo, vindictæ publicæ ita ratione postulante *Zoefius ad D. b. r. N. 23.* & transigit hoc casu accusator de suo duntaxat Jure privato, non verò de crimine ipso, hoc enim pactum esset de causa publica, & à causa privata remotum, indeque illicitum. *L. 27. §. 4. D. de Pæt.* Suntque hæc adeò vera,

ut nec transfigens pro convicto habeatur. L. 7. D. de Pravar. Est & fata Transactionis actori impunita, apparet id ipsum abunde ex L. 18. C. b. t. quae Transactionem super capitalibus licitam esse indistincte adstruit, quod autem Legge permittente fit, poenam non mereri constat L. 4. C. ad L. Jul. de Adult. Statuit itidem L. 1. D. de Bon. eor. qui ante Sentent. impunè esse reo, qui adversarium corrupit, ergo & impunè esse debet accusatori ex naturâ correlatorum, secus enim nulla redimendi sanguinis reo spes superesset; & loca, quae Actori desistentiam prohibent, de criminibus poenam sanguinis non ingerentibus intelligenda veniunt.

De criminibus futuris Transactionem omni Jure esse reprobata, nemo dissitebitur, de delictis item publicis non capitalibus citra falsi crimen transigi non posse, definit L. 18. C. b. t. Explicante id ipsum Zoesio ad D. b. t. N. 44. Quod Actor factæ Transactionis ergo falsi in crimen incidat, reusque hoc censeatur confiteri, id quod tamen hodie secus esse testis est Carpz. P. Crim. Q. 5. N. 14. Super delictis præteritis privatis, lite nondum contestata, validam esse reor Transactionem, & transigentes ne infamiae quidem notam sibi inurere, ast lite jam contestata Transactionem hanc infamiam parere de Jure verior Sententia est. L. 5. D. de his, qui not. infam. L. 18. C. ex quib. caus. infam. Habetur enim pro victo, & condemnato. Arg. L. 7. D. de Pravar. Pariter & impunè de delictis pacisci licet, idque non tantum de publicis, verum & privatis delictis intellectum volo, de publicis delictis, iisque capitalibus Textus expressus est in L. 18. C. b. t. ibi — Transigere, vel pacisci de crimine capitali, excepto adulterio, probatum non est. — De publicis non capitalibus id ipsum probatur ex eadem L. 18. ubi, postquam Imperator de crimine capitali transigere, & pacisci licere dixerat, de non capitali transigere non licere statuit, neque hic addit, ut ante, vocem pacisci, ex quo evidenter eruitur pactum non item, ac Transactionem improbari. Cocepus in Jure Cont. b. t. Q. 13. Nec minus de delictis privatis impunè pacisci licet. L. 6. §. 3. D. de his, qui not. infam. Inhumandum enim foret ad preces alterius veniae locum denegari. d. L. 6. §. 3. Neque Sententiam meam ferit L. 1. D. eod. ibi — Paclusve erit.. Paclum enim ibidem sumitur pro pacto non gratuito, ut id ipsum explicatus in cit L. 6. §. 3.

SECTIO

SECTIO 6ta.

Transactionis, modò suis non fuerit denudata requisitis, effectus ius est, quod litem impedit, potestque Transactionis exceptio etiam ante litem contestatam opponi, habet enim illa vim rei judicatæ, hujus autem exceptionem antè litem contestatam opponi posse notum est. adus Quod finemliti, & controversiae imponat. L. 10. C. 1. Quo respectu non minorem vim, quam res judicata, habere dicitur. L. 20. C. b. 1. 3tius Quod partes ad rem promissam tradendam, vel aliquid remittendum, vel factum præstandum obliget, competentia ad hoc Juris remedia tribuendo. 4tus, Quod major 25. annis à Transactione, non coacte confecta, & Juramento consolidata, resiliens non tantum actione pro eo, quod transactum est, competente, rerumque ex ejusmodi conventione obtentarum emolumento privetur, verum etiam infamia Juris mediatâ contaminetur. L. 41. C. b. 1. 5tus, Quod Actor stando Transactione pœnali Adversarium suum aut ad implementum faciendum, aut ad pœnam solvendam obligatum habeat. L. 10. §. 1. D. de Patti. & si clausula: Rato nihilominus manente Transactionis pacto adjecta fuerit, non adimpleta à reo fide tam tēs transacta, quam pœna exactio subjaceat. L. pen. D. b. 1. L. 17. C. eod.

SECTIO 7ma.

Ad fata Transactionis nunc tandem propero, illa autem hæc subit ius, si requisita superius recensita etiam disjunctivè defecerint, quando enim de consensu transigentium non patescit, aut libera his disponendi facultas deficit, aut res nullo sensu dubia existit, nemo sensatus Transactionem subesse tuebitur. adò Firmitatem non habet Transactio, si eadem falsis ex instrumentis, per falsos testes, cæterasque probationum species falsitate intrixas inita fuerit, aut causa transigendi postmodum calumniosa apparuerit. L. pen. C. b. 1. Quod usque adeò verum est, quantumvis jusjurandum interpositum fuerit, ita tamen, ut, si de pluribus causis, vel capitulis eadem Pactioes, seu Transactiones initæ fuerint, illa tantummodo causa, vel pars retractetur, quæ falso ex instrumento composita convicta fuerit, alia autem capitula firma subsistant. Cit. L. pen. Sub praetextu tamen instru-

menti post reperti Transactionem bona fide finitam rescindi Jura non patiuntur, verba sunt L. 19. C. b. t. arque hoc ita ex utilitate publicâ meritò constitutum ad evitandas litium molestias, earumque dubium, ac incertum eventum, estque Transactionis eadem authoritas, quæ rerum judicatarum, has autem sub specie instrumentorum posteà repertorum restaurari exemplo grave dicitur in L. 4. C. de Rejud. Causas duntaxat excipio pupillares, & Republicæ L. 35. De Rejud. L. 3. C. de Jure Resp.. 3tiò Si Transactione dolo, metuive extorta fuerit, nullitatis remedio subjacet. L. 13. C. b. t.. 4tiò demum deficit Transaction, si quid emerserit, de quo transigentes non cogitârunt. Arg. L. 35. D. de Pact. Hinc filiam, quæ inofficiosi querelam intentavit, & ob dubium, quem sibi persuadebat, litis eventum cum haerede transegit, posteà autem querelam nullitatis sibi competuisse reperit, hanc intentare posse Jure dixeris.

Sed an Transactionis unius etiam dissensu infirmabitur, sive, quod alterum Transactionis pœnitentia, sive, an dans poterit pœnitere, & à Transactione recedere, si alterius ex parte adimplementum nondum fuerit insecutum? ita vulgas olim credidit, & eandem adhuc hodie alii haeresin, verum hanc in rem aperta est Decisio contraria in L. 39. C. b. t. ibi — Quamvis eum, qui pactus est, statim pœnitentia, Transaction tamen rescindi, & lis instaurari non potest, & qui suadet intra certum tempus licere à Transactione recedere, falsum adseveravit. Bæhmer in Introd. ad D. b. t. §. 13.

Ne igitur præjudicium emergat, consultum habe, ut Transactioni subnegetur pactum, quod, si alter fœdisfragus extiterit, illa ipso Jure convellatur. L. 17. C. b. t. quo casu, ubi quis in lite desit, incipere iterum poterit, idem teneto, si alter contraventioni consenserit, sic enim pristina actio per Transactionem sopita alteri restituetur. L. 14. C. b. t.

Ast quid statuendum erit, si alteruter transigentium ultrà dimidium laesus fuerit, num hoc casu Transactione rescindi poterit?

Negativa Juris Textibus ubique firmata reperitur, etenim in Jure clarum, & pluries decisum est, quod Transactionis semel legitimè celebratæ non minor sit authoritas, quam Sententiæ, quæ in rem judicatam transit.

Cap. 1. & b. t. L. 20. C. b. t. Talis autem nullo amplius prætextu, aut allegatione læsionis ultrà dimidium rescindi potest, *Arg. tot. tit. Cod. Sentent. rescind. non poss. L. fin. Cod. de Error. Advocat. L. 4. C. de Rejud.* imò Transactio æquiparatur rei per jusjurandum decisæ, & ista majorem, quam res judicata, firmitatem habere dicitur in *L. 2. D. de Jurej.* Lis autem per jusjurandum finita sub nullo amplius simili prætextu resuscitari potest. *L. 5. §. 2. & L. 9. §. 1. D. eod.*

Ad idem Textus est satis clarus in *L. 78. §. fin. D. ad SC. Trebell.* ubi JC. ait: Quod, si hæres fiduciarius hæreditibus fidei - commissariis quadruplo minus, quam in hæreditate fuerat, restituerit, iidem etiam ad reliquum contra hæredem fiduciarium adhuc agere possint, NB. si inter eosdem transactum non sit &c. ita, ut à contrario, si inter eosdem transactum fuerit, fidei - commissariis contra fiduciarium actio non pateat, quantumvis quadruplo minus acceperint, quam ipsis debebatur, quæ utique est læsio ultrà dimidium.. Huc & facit ratio satis stringens, quod nempe quasi impossibile sit illi, qui cum altero transegit, læsionem exinde ultrà dimidium probatam dare, id quod tamen ad intentandum ex *L. 2. C. de Rescind. vend.* Remedium requiri notorietas firmat, cum enim Transactio non ineatur, nisi super re dubiâ, & incertâ, incertus autem semper sit litis exitus, ita, ut talis transfigens nunquam seire possit, quid & quantum in Judicio per Sententiam obtenturus fuisset, si fortè non transegisset. *Arg. L. 51. D. de Pecul.* Ita talis nunquam probare poterit se reverà ultrà dimidium transfigendo læsum esse, eo ipso, quod etiam per litem suam, si illam prosecutus fuisset, non plus, vel saltem paulo minus fortè obtinuisse, ita, ut quotiescumque res aliqua dubia adhuc est, & incerta, exinde nulla læsio prætendi possit, ut rescribit in alio simili casu Imperator in *L. 17. C. de Usur.* vid. Vinnius in *Quest. select. Lib. 1. cap. 57.* & haec de Jure indubia credo, de praxi eadem est opinio *Mevit Part. 4. Decis. 30.* ubi ita judicatum refert, *Gaillii 2. Obs. 70. N. 3. seqq. & aliorum,* quos ibidem allegat, *Juris Interpretum,* quam opinionem ibidem N. 12. tanquam veriorem Cameræ Imperialis pronunciationes aliquoties secutas meminit. Ego ab ho-

rum Sententiâ divortium facere theticè erubescens temporis angustia metam imperante Dissertationi limites pono.

THESES PARERGÆ

EX

Jure Canonico.

1. Non uti emptioni venditioni, ita etiam pignori Lex Commissoria recte adjicitur.
2. Ecclesiam instructam esse potestate Sacri Regiminis verè authoritativi contrà Protestantes statuo.
3. Clericos privilegio fori inutiliter renuntiare non dubito.

Ex Jure Naturali.

1. Principium adæquatum cognoscendi, num quid sit Juris Naturalis, est boauum universale naturæ.
2. Jus Naturæ absolutum penitus est immutabile.
3. Divisionem Juris Naturalis in primævum & secundævum respuo.

Ex Jure Gentium.

1. Principium efficiens Juris Gentium non sunt Paæta, & Conventiones inter Gentes factæ, sed Deus, quatenus est Author Gentium.
2. Contractus b. f. metu injusto extortus nullitatis subjacet remedio.
3. Paæta cum Hæreticis, & Infidelibus inita servari oportet.

Ex Jure Civili.

1. Legitima Trebellianam non absorbet.
2. Mulier apud minorem intercedens ex intercessione obligatur, si principalis solvendo non fuerit.

3. Si ususfructus legatus sit filiof., hic mortuo filio apud patrem manet, & mortuo patre ad filium pertinet.

Ex Jure Criminali.

1. Nemesis Carolina pro utroque foro justa est, possunt tamen immediati Status Imperii speciales circa punitionem criminum Leges condere.
2. Habent & Jus aggrediandi, modò gratia bono publico non obstat.
3. è vulnere occisi, præsente occisore, sanguinem fluere falso, ac anile censeo, unde, si talis fluxus contigerit, hunc ad torturam indicium facere, non video.

Ex Jure Publico.


1. Imperium Romano-Germanicum verè Monarchicum est.
2. Ad ferendam Legem Imperii publicam, consensus Statuum requiritur, ut conditio sine quâ non, non ut causa socia.
3. Principibus Sæcularibus circa Saera nulla potestas competit.

Ex Jure Feudali.

1. Filius repudiata hæreditate paternâ Feudum ex Pacto, & providentiâ Domini retinere potest, non vero Feudum ex providentiâ Juris.
2. Feudum naturâ novum, ast ex Pacto antiquum Dominus, & Vasallus in præjudicium Agnatorum alienare possunt, de Feudo naturâ antiquo aliud sentio.
3. Per subsequens matrimonium Legitimatus in Feudis succedit.



Ex-Jane Chonissi



TIFFEN® Color Control Patches

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

© The Tiffen Company, 2007